



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 888. Usque Ad Annum 1000

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117921

§. 49. Summi Pontifices.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66313)

barunt, & me ipsum de Sede mea dejece-
runt. Tuū officii est hoc perficere, hoc
Dignitas tua, hoc Sedis Romanæ honor
postulat. Id ipsum Imperator, qui bodie
rerum potitur, a te expectat, Palatii sui
Magistro ad te misso. Id ipsum ut fa-
cias, nos omnes obtestamur. (*)

§. XLIX.

Summi Pontifices.

Ex hac Epistola dispicimus, Sergium III.
Papam jam tunc fati functum fuis-
se; unde conjectura est, eam datam
fuisse ad Sergii III. Successorem, Ana-
stasium III. Romanum, Luciani filium,
qui a mansuetudine, qua subditos rexit,
commendatur. Sedit autem non plus
annis duobus & duobus ferme mensibus.
Successit Anastasio Lando, quem, cum
sex mensibus & diebus duobus sedisset,
in Sacra Sede secutus est Joannes X.
Theodoræ junioris, quæ Marozix Soror
erat, auctoritate & potentia electus.
Joannes X. antea Clericus Ravennas, a
Petro illius civitatis Archiepiscopo saepe
Romam

Sæculum X.
A. C. 912.

Papebr.

Flod. vers.
p. 607.

Luitpr. II.
c. 13.

(*) Nicolaus eo ipso, quod obtestetur,
S. Patrem, Romanum Pontificem, ut calumnia-
tores suos & perturbatores Ecclesiæ Constan-
tinopolitanæ castiget, Primatum Ecclesiæ Roma-
næ atque ejusdem in Sedem Constantinopoli-
tanam Auctoritatem profitetur.

Sæculum X.
A. C. 912.

Romam ad Pontificem negotiorum causa missus fuerat, quem, cum esset formosissimus, Theodora deperiit, & ad stupri consuetudinem pellexit. Inter hæc Episcopo Bononiensi mortuo, ei Joannes sufficitur, sed priusquam consecraretur, Petro quoque Archiepiscopo Ravennate e vivis erepto, is persuadente Theodora Bononiensi Ecclesiæ valedixit, & Archiepiscopus Ravennas a Landone Papa ordinatus est. En vero, Landone paulo post vita functo, Theodora impatienter ferens, quod rarissime dilecto suo frui posset, si Episcopus esset Ravennæ, ducentis millibus Roma distantis, non repugnanti persuasit, ut eam quoque Sedem dimitteret, effecitque, ut Papa eligeretur, & ordinaretur. (*)

vers. Flod.
p. 607.

Joannes

(*) Non inepte Palatius in Joanne X. Ecclesiam terræ comparavit, cum Lemmate: *In æternum stat. Et adjecit: Terra quæ pondere librata sui stat, nulloque movetur impulsu, Ecclesiam comparamus, quæ criminibus Pseudo-Pontificum non concutitur.* Tum in Elogio:

Fasti sunt hi non Joan. X. Rom. Pont.
Sed Nefasti Theodoræ impudicissimæ Lupæ,
Quæ Lupam premebat Romanam,
Ea Ecclesiæ calamitas,
Ut Pellices misceantur & Martyres! &c.

Joannes X. Sacram Sedem paulo plus annis quatuordecim obtinuit.

Sæculum X.
A.C. 915.

Sub Pontificatus initium a duobus fratribus Landulfo & Atenulfo, Capuæ Principibus, invitatus, ad armorum societatem, & depellendos Saracenos ab illa statione, quam ad Garilianum occupabant, Joannes cum copiis, Alberico Marchione Duce, & auxiliariis Constantinopoli in Italiam transmissis, illuc movit. Profligati sunt Saraceni & ex illis regionibus ejecti, mense Augusto, anno nongentesimo decimo quinto, Indictione tertia.

Chr. Cass.
c. 52.
Luitpr. II.
c. 14.

Ad hanc victoriam Berengarius quidquam contulisse creditur. Illud vero constat, quod mense Septembri anno nongentesimo decimo sexto a Joanne X. Papa Imperator secundo coronatus fuerit, quamvis eum jam olim Stephanus VII. coronasset. Sed primam Coronationem Joannes IX. nullam declaraverat.

S. L.

Joannes Abbas Cassinensis.

Monachi Cassinenses adhucdum extra suum Monasterium degebant, nec tamen illius reparandi curam penitus abjiciebant. Post obitum S. Bertarii, quocum Teanum confugerant, Abbatem habuerunt Ragemprandum, tum Leonem, qui muros Cassinensis Monasterii a Sa-

a Sa-